

*Gaudium erit in cælo super uno peccatore
pœnitentiam agente.*

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Lucam

15, 1-32

In illo témpore:

- ¹ Erant appropinquántes Iesu omnes publicáni et peccatóres, ut audírent illum.
- ² Et murmurábant pharisæi et scribæ dicentes: «Hic peccatóres récipit et mandúcat cum illis».
- ³ Et ait ad illos parábolam istam dicens:
- ⁴ «Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdíderit unam ex illis, nonne dimíttit nonagínta novem in desérto et vadit ad illam, quæ períerat, donec invéniat illam?
- ⁵ Et cum invénerit eam, impónit in úmeros suos gaudens
- ⁶ et véniens domum cónvocat amícos et vicínos dicens illis: “Congratulámini mihi, quia invéni ovem meam, quæ períerat”.
- ⁷ Dico vobis: Ita gáudium erit in cælo super uno peccatóre pœniténtiam agente quam super nonagínta novem iustis, qui non índigent pœniténtia.
- ⁸ Aut quæ múlier habens drachmas decem, si perdíderit drachmam unam, nonne accéndit lucérnam et evérrit domum et quærit diligénter, donec invéniat?
- ⁹ Et cum invénerit, cónvocat amícas et vicíνας dicens: “Congratulámini mihi, quia invéni drachmam, quam perdíderam”.
- ¹⁰ Ita dico vobis: Gáudium fit coram ángelis Dei super uno peccatóre pœniténtiam agente».

- ¹¹ Ait autem:
«Homo quidam habébat duos fílios.
- ¹² Et dixit adulescéntior ex illis patri:
“Pater,
da mihi portiónem substántiæ, quæ me contíngit”.
Et divísit illis substántiam.
- ¹³ Et non post multos dies, congregátis ómnibus,
adulescéntior fílius péregre proféctus est
in regiónem longínquam
et ibi dissipávit substántiam suam vivéndo luxurióse.
- ¹⁴ Et postquam ómnia consummáset,
facta est fames válida in regióne illa,
et ipse cœpit egére.
- ¹⁵ Et ábiit et adhæsit uni cívium regiónis illíus,
et misit illum in villam suam, ut pásceret porcos;
- ¹⁶ et cupiébat saturári de síliquis,
quas porci manducábant,
et nemo illi dabat.
- ¹⁷ In se autem revérsus dixit:
“Quanti mercennárii patris mei abúndant pánibus,
ego autem hic fame péreo.
- ¹⁸ Surgam et ibo ad patrem meum et dicam illi:
Pater, peccávi in cælum et coram te
- ¹⁹ et iam non sum dignus vocári fílius tuus;
fac me sicut unum de mercennáriis tuis”.
- ²⁰ Et surgens venit ad patrem suum.

Cum autem adhuc longe esset,
vidit illum pater ipsíus
et misericórdia motus est
et accúrrens cécidit supra collum eius
et osculátus est illum.

- ²¹ Dixítque ei fílius:
“Pater, peccávi in cælum et coram te;
iam non sum dignus vocári fílius tuus”.

²² Dixit autem pater ad servos suos:
“Cito proférte stolam primam et indúite illum
et date ánum in manum eius et calceaménta in pedes
²³ et addúcite vítulum saginátum,
occídite et manducémus et epulémur,
²⁴ quia hic fílius meus mórtuus erat et revíxit,
períerat et invéntus est”.
Et cœpérunt epulári.

²⁵ Erat autem fílius eius sénior in agro
et, cum veníret et appropinquáret dómui,
audívit symphóniam et choros,
²⁶ et vocávit unum de servis
et interrogávit quæ hæc essent.
²⁷ Isque dixit illi:
“Frater tuus venit,
et occídit pater tuus vítulum saginátum,
quia salvum illum recépit”.
²⁸ Indignátus est autem et nolébat introíre.
Pater ergo illíus egréssus cœpit rogáre illum.
²⁹ At ille respóndens dixit patri suo:
“Ecce tot annis sérvio tibi
et numquam mandátum tuum prætérii,
et numquam dedísti mihi hædum,
ut cum amícis meis epulárer,
³⁰ sed postquam fílius tuus hic,
qui devorávit substántiam tuam cum meretrícibus,
venit,
occidísti illi vítulum saginátum”.
³¹ At ipse dixit illi:
“Fili, tu semper mecum es,
et ómnia mea tua sunt;
³² epulári autem et gaudére oportébat,
quia frater tuus hic mórtuus erat et revíxit
períerat et invéntus est”».

Verbum Dómini.